Se recipit noctu Joseph cum Virgine castâ.
Quumq; refecissent sese ac sua corpora victû,
Fessus uterq; comes dulci dat membra quieti,
Tum senior, tum Virgo itinere pondere fessa.
Jamq; ferè mediam Coeli nox frigida metam
Contigerat: placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras; verum non Virgo Maria
Solvitur in somnos, sed secum haec corde volutat:
Quod si laeta mei partûs accederet hora
Quid facerem? tenuis foetum quae fascia cingeret?
Quae fomenta aderunt? Vix haec meditata labores
Sensit adesse sui partus, enixaq; Virgo
Est puerum plane nullos experta dolores.
Hunc Mater natum binis amplectitur ulnis,
Oscula dat, misto tanta inter gaudia fletu:
Mox laceris puerum pannis involvit, et ipsum
In praesepe locat: lectus sunt stramina, foenum
Pulvinar, biniq; est clamor nenia bruti.
Proh dolor! en, quem non spatiosi machina mundi
Tota capit, stabuli posticâ parte locatur.
Proh dolor! en, cui nequaquam diademata Regum
Sufficiunt, laceros vix pannos accipit ille.
Proh dolor! en, coeli quem digno haut carmine laudant,
Circa hujus duo bruta canunt cunabula carmen.
Siccine tu nasci voluisti, JESULE, pauper?
Ah nostri es causa pauper, mi JESULE, natus.
Sed quis, dum stabuli recubat sub tegmine Virgo
Ipsa Dei Mater, dixisset nuncia Orbi
Gaudia de nato JESU, dum membra sopori,
Crimine patrato, praetecta domoq; negarat
Quisq; Dei soboli, dabat improbus incola Bethlem?
Nemo tui, nemo gessit, mi JESULE, curam.
Hinc Pater Altitonans mediâ sub nocte Ministrum
Astro qui similis, coelo demisit ab alto,
Nuncia